

DE DISCIPLINA PSALLENDI.

Disciplina a discendo dicitur, eo quod *discitur plene*; sive disciplina est eruditio vel doctrina psallendi. Rectum ordinem S. Benedictus tenuit in hoc loco in eo, quod prius dixit de officiis divinis et postmodum subjunxit *De disciplina psallendi*. Prius enim dixit, qui et quanti psalmi canendi sunt per ipsa officia, nunc vero dicit, cum quanta devotione cordis et moderatione atque studio ipsa officia agenda sint.

Sequitur: *Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini speculari bonos et malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus.* - *Ubique* dicitur, i. e. in omni loco. Oculus vero Dei dicitur illa vis divina, qua cuncta videt, sicut auris Dei dicitur illa vis divina, qua cuncta audit. Et bene dicit, oculos Domini respicere bonos et malos, quia Deus duobus modis respicit homines: bonos respicit, ut corrigantur, sicuti respexit Petrum, de quo dicitur: *Respexit Dominus Petrum, qui exiit foras et flevit amare*; de malis vero dicitur, ut puniantur et condemnentur, sicut legitur: *Respexit Deus castra Aegyptiorum*; postea justo iudicio Dei sicut plumbum demersi sunt in profundum maris. Sic etiam sol, qui creatura ejus esse creditur, facere videtur. Nam sol cum respicit ceram, facit eam liquescere atque defluere et duritiam ejus mollescere; si vero respicit lutum, facit eum siccum et mollitiem ejus constringit. Et hoc sciendum est, quia quamvis bonos et malos potentialiter aequaliter speculetur, sed¹⁾ super bonos per gratiam abundantior et gratiosior est ejus visus. Sed qualiter Dominus ubique esse intelligendus sit, docet B. Gregorius hoc modo dicens: *Deus autem ubique esse dicitur, quia ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, et exterior*

¹⁾ tamen (?).